

et immortale dedecus? Et quid aliud venantur, qui in pompam sæculi, in convivia, vestes, personarum metamorphoses quam plurima impendunt? At de misericorde dicitur, Ps. CXI. *In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit.*

II. Clemens Alexandrinus, lib. I. pædagogi, comparat eleemosynam ludo pilæ, in quo pila projecta per verberationem, redit ad eum qui projecit. In hoc ludo in primis est datum et acceptum, nam unus projicit pilam, alter eam repercutit: ita homo dat bona sua pauperi, et pauper bona data repercutit ac compensat bonis aliis: unde Ecclesiasticus, capite XIV. divites ad eleemosynas hortans, ait: *Da et accipe, et justifica animam tuam.* Habent aliquid divites, quod non habent pauperes, pecuniam videlicet, vestes, cibos. Vicissim habent aliquid pauperes, præsertim religiosi et pii, quod non habent divites, scilicet oculos illuminatos, doctrinam, merita, preces efficaces et nervosas, tabernacula in cælis ædificata. Ergo faciant commutationem bonorum suorum. Ita in Græcorum fabula cæcus claudum gestavit, et sicambo pergere potuerunt. Pauperes sunt claudi, divites sunt cæci. Isti suis opibus inopiam; illorum sublevant; illi suis meritis, doctrinis, consiliis, precibus cæcutientes divites in cælum dirigant. Sic monet apostolus, II. Cor. VIII. *Vestra abundantia illorum (pauperum) inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestre inopiæ sit supplementum.* Quod si pauperes in hac vita ditare possunt opulentes, multo tamen magis ditati jam in cælo et possidentes æterna tabernacula; quod sane Sanctus Laurentius præstitit imperatoricidam Constantinopolitano; qui, ut refert B. Petrus Damiani, l. VIII. epist. V. ad Petrum senatorem urbis, cum cæcus esset, monitus est per somnium, ut adiret ecclesiam S. Laurentii, quæ est Romæ. Quod dum abiit, jubet eum conjux per ambages circumduci et delineri per vicinum mare, interim Constantinopoli ædificat S. Laurentio, basilicam; qua perfecta, jubet maritum reduci, quasi ad Romanum Sancti Laurentii templum; sicque ille mox ut pedem in id intulit, putans esse Romanum S. Laurentii, recepit visum.

Deinde, in ludo pilæ est jucunda quædam recreatio. Ita et in misericordia, teste psalmista, Ps. CXI. *Jucundus homo, qui miseretur et commodat.* Unde S. Cyprianus, ser. de eleemosyna, vocat eam *grande solatium credentium.* Quis enim non percipiat solatium et lætitiâ, cum vidit pauperes e manu sua refocillatos, recreatos, lætitiâ perfusos, e mœrore et esurie ereptos? Turcis maxima consolatio est et gaudium emere as aviculas et libertati restituere; quæ, ubi

dimissæ, præ gaudio cantillant: *Ecce, inquit, quomodo gaudent et gratia agunt!* teste Busbequio, in sua legat. Quanto magis lætari Christianus debet quando homines captivos redimit, famelicos pascit, pauperes ecclesias vestit et ornat?

III. S. Basilius, hom. in divitem, Luc. XII. puteo comparat eleemosynam. Audiatur ipse: « Putei continuo exhausti. Et copiosiore et pulchriore admodum fluunt aqua; neglecti vero et quieti facile putent: sic et opes conditæ quiescentes vel inutiles: motæ autem et translatae, publicum commodum et fructum pariunt, quarum gratia o quanta tibi laus ex iis, qui beneficium acceperunt, proveniet! » Idem attestatur Isaias, cap. LVIII. *Cum effuderis esurienti animam tuam, etc. eris sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.* Negant mathematici, fontem effici posse, qui aquas emittendo easdem recipiat, quas iterum evomat, ita ut continenti aquarum educatione reductioneque perennis sit. At hoc eleemosynarum proprium. Licet enim fontes divitiarum in pauperes erogentur, rursus ita in dantes immittuntur, ac si nunquam effusi fuissent; itaque semper erit materies dandi nova. Testem adduco Salomonem, qui Prov. XIX. ait: *Fæneratur Domino, qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei.* Posset id ostendi plurimis exemplis veteris et novi testamenti, si opus foret. In veteri, nonne hydria farinæ et lecythus olei mulieri Sarephthanæ, quæ paverat Eliam in summa egestate, stillavit semper donec pluvia immissa esset terræ post diurnam siccitatem? III. Reg. XVII. Addit præclarum aliud (quod nescio cur in margine appelletur fabula) Georgius Cedrenus, in hist. compendio de quodam Israelita, qui inter abductos a Salmanasar rege unus, dives et avarus fuit. Hic cum sacerdotem convenisset, ea quæ dixi verba (*fæneratur Domino, qui miseretur pauperis*) legentem, pœnitentia ductus, omnia sua pauperibus distribuit, duobus tantum nummis aureis servatis. Ad summam ergo redactus pauperiem, iter Hierosolymam instituit, ut cum Deo coram ageret, et quasi delusus scœnus id repeteret. In itinere obvios habuit duos mendicos inter se contententes de gemma, quam invenerant; sed pretium ignorabant, colorem tantum admirabantur. Reprehendens ergo illos, offert eis duos, quos retinuerat, nummos aureos pro gemma, et item dirimit. Eam aurifici mox pontifici ostendit, qui edoctus ab angelo gemmam esse ex pontificali ephod amissam, magnoque auro redimendam, numerat aurum Israelitæ, simulque alapam impingit dicens: *Hæc angelus Domini me tibi nuntiare jussit, ut pro nobis in pau-*

peres distributis, triplum tibi divinitus redditum agnoscas, neve Deo amplius diffidas. Ille gaudio plenus discessit, relictis ad divinum cultum omnibus. In novo habemus innumeros, e quibus multos alibi produximus; in primis vero celeberrimum illum S. Joannem eleemosynarium: cum Deo quasi certabat liberalitate, an ipse plus in pauperes expendere, an Deus refundere posset, uti notum est.

IV. S. Paulus, II. Cor. IX. comparat eam semini, seu grano frumenti, de quo in hodierno evangelio: *Qui parce seminat, ait, parce et metet, qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*, id est, qui liberaliter dat, liberaliter etiam accipiet. Seminant agricolæ frumentum hoc anno, altero metunt et cum fœnore multiplici. Eleemosynarii seminant in hoc sæculo, metent in altero copiosissime. Audiamus S. Basilium, orat. XIII. de eleemosyna et benignitate: « Quomodum frumentum in terram cadens lucrum projicienti parit: sic et panis in esurientem projectus multam in posterum tibi reddet utilitatem: » et Chrysost. hom. LV. in Gen. « Si agricolæ penu suam evacuant et semina terræ concredunt, et collecta dispergunt, idque cum voluptate faciunt ipse majora recipiendi se solantes, et quamvis sciant, quod aeris intemperies nonnunquam et terræ sterilitas et alia multa accidentia, ut locustarum, exercitus et rubiginis insidiæ, spe excidere faciant; attamen bona spe esse alentes, ea quæ sunt in promptuariis collecta, terræ concredunt: multo magis nos, quæ absque usu recondita sunt, dispergere in pauperum usus et educationem convenit. » Poterat Adam, primus agricola, dubitare prima seminatione de proventu sementis: sed post tot experimenta nullo modo. Quot vero argumenta habemus retributæ eleemosynæ? Quare sicut sementis non fit propter terram, sed propter satorem, ut inde alatur: ita eleemosyna non tam pauperi, quam diviti danti prodest. Ita S. Chrysost. hom. XXXVII. ad Antioch. pop. occurrens objectioni divitum, quod pauperes aliunde a communibus Ecclesiæ bonis juvari possint, respondet: *Nescis, quod non tam propter pauperes eleemosynam Deus, quam propter ipsos impendentes instituit?* Unde idem homiliam XXXIII. scripsit super hoc argumento, quod eleemosyna sit ars omnium quæstuosissima. Nam aliæ artes omnes aliarum indigent adminiculo, v. g. agricultura eget fabrili, carpentaria, lignaria, coriaria, etc. at eleemosyna simul omnia præstat et cum fœnore refundit, si vel duo minuta, quæ habes, des. Multi dicunt, se non posse vendere vinum suum. Quid? Ecce non convocant pauperes et distribuunt in illos?

Illis enim vendere possunt, et quidem maximo pretio; si non in hoc sæculo (quod non desiderandum), certe in altero illo certissime numerando. Vidimus quantum omni ex parte bonum sit eleemosyna. Desideratis enim bonum honestum? Ecce est vobis torques et monile aureum. Desideratis jucundum? Est vobis ludus pilæ? Desideratis utile? Est vobis fons bonorum perennis, fœcundus in hac vita et in futura messis millecupla. Ergo seminate; non curate aves semini huic infestas, ut ibi cum gaudio metatis.

CONCIO IV.

DILECTISSIMA QUÆQUE ODIO HABENDA, CUM A COELO NOS IMPEDIUNT.

I. Conjuges. — II. Parentes. — III. Filii. — IV. Mundi favor et honor. — V. Opes et divitiæ. — VI. Formæ pulchritudo. — VII. Amor vitæ propriæ.

THEMA.

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Joann. XII.

Mira quidem videtur hæc Christi doctrina. *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*; ea tamen adeo vera et perspicua est, ut vel rustici eam intelligant. Etenim si interroges eos, quam ob rem grana tritici, e quibus optimas placentas, optimum sibi panem possent conficere, projiciant in agrum, adeoque in lutum, ubi macerabitur ac morietur; respondebunt illi, hoc sibi plurimum prodesse, quod e paucis granis in agrum abjectis, brevi plurimam messem sperent. Hunc fere in modum etiam respondit S. Agatha Quintiano præsidi, cum inter tormenta incredibili exultaret gaudio. Dicebat enim: « Ut frumentum, nisi palea nudatum, tuto in horreo conservari non potest; ita nec anima mea tuto cœli penetralia prius subire potest, quam corpus hoc variis affectum supplicis fuerit, » ut in ejus vita, 5. febr. Quomodum ergo granum projiciendum est in agrum, ut cum fœnore resurgat: rursus flagellis tundendum, ut a palea separetur, sicque in horreo repositum conservetur: sic et homo in hac vita varie mortificari et cruciari, ac quidquid ipsi amore terreno adhæret, exuere debet, ut vitæ æternæ particeps fiat. Neque enim terrena simul et cœlestia amari et possideri queunt. Itaque qui is gaudere vult, illis se denudet, omniaque salutis impedimenta eliminat odioque habeat. Horum vero potissima nunc videamus.

I. Imprimis negari non potest, conjuges sibi invicem saepe impedimentum esse salutis et causam perditionis. Scimus enim Adamum natura et gratia integerrimum, a sua Eva in divinæ legis prævaricationem suaviter illectum, indeque in exilium expulsus esse: Samsonem fortissimum a sua Dalila deceptum et Philisthæis traditum, indeque in miseram servitutem impulsus: Salomonem sapientissimum a suis uxoribus dementatum, uti et Achabum a sua Jezabele, adeo ut illarum idola colerent: Herodem ab Herodiade eversum: Valens imp. uxoris lenociniis a catholica fide ad Arianam pertractus est, ut in vita S. Basillii, I. jan. Othacarus Bohemiæ rex ad rebellionem contra Rudolphum imper. inde ad ruinam, apud Gerard. de Roo. Sæpe etiam uxores, seu fraude seu imperio, in peccatum trahuntur a viris. Quid igitur hic consilii? Nil aliud, nisi ut conjux odio habeatur, increpetur, compescatur, et si alia via evadendi non sit, deseratur potius quam Deus. In hoc enim casu: *Qui non odit uxorem, non potest meus esse discipulus*, ait Dominus, Lucae XIV. et: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te; et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam et projice abs te*, Matth. XVIII. Præstat enim amittere membrum unum, quam totum corpus et vitam. Ita sapuit Job qui uxori rem detestabilem suadenti, respondit: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es*, Job II. idem fecit S. Satorus ab Arianis in persecutione Wandalica captus, ut alias dixi. Vicissim beata Natalia cum Hadrianum conjugem sub Maximiano captivum, vidisset e carcere domum redeuntem, putans eum fidem negasse, ideoque vinculis dimissum, domo exclusit summa indignatione, perfidumque appellavit. Ubi vero intellexit eum corruptis pecunia custodibus, ideo solum venisse, ut ipsam ad certamen suum spectandum invitaret; Deo gratias agens, virum ad carcerem prosecuta est, ibique torrens capillis, virili habitu ei servivit, quinetiam pedes manusque viri, super incudem amputandas extendit, ipsum strenue confortans usque ad beatam mortem, ut in vita S. Hadriani, 4. martii

II. Sæpe obstant parentes salutis filiorum, cæco quodam amore ducti, uti pater S. Francisci, mater S. Thomæ Aquinatis, retrahentes filios a perfectionis statu: pater Josaphati, apud Damasenum, et S. Barbaræ, apud Sur. 4. dec. impediennes eos a fide Christi. Contra hos est, quod dicitur, Deut. XXXIII. *Qui dixit patri suo et matri suæ: Nescio vos, et fratribus suis: Ignoro vos; et nescierunt filios vos, hi custodierunt eloquium tuum*. Loquitur de levitis, qui ad Dei præceptum occiderunt in turba etiam proprios parentes idololatrias, ado-

ratore vituli aurei, Exodi XXXII. Igitur in hoc casu odio potius haberi, quam amari debent; quia plus amandus Deus et propria salus. Aristoteles, IX. eth. c. II. cum multa de filiorum erga parentes obligatione dixisset, asserit tamen, si filius ægrotet, magis eum medico obtemperare debere in iis, quæ ad sanitatem conferunt, quam parentibus. Multo igitur magis Deo, cum de salute filii æterna agitur, cui longe plus obligatus est filius, quam parenti. In cujus rei documentum Christus, insciis parentibus, remansit in templo, magis obtemperans Patri suo æterno: cumque de hujus obedientia agebatur, matrem appellavit *mulierem*, non matrem. Discipulo etiam illi, qui ad paternas exequias abire volebat, dixit: *Sine mortuos sepelire mortuos suos*, Lucae IX. Sic oderat parentes S. Franciscus, ut dixi, patri sibi obstanti, non solum omnia cedens, sed etiam vestem adjiciens, ut verius posset dicere: *Pater noster, qui es in caelis*. S. Thomas Aquinas, cum ordinem S. Dominici esset ingressus, a matre intercepti jussus et inclusus, quo religioni nuntium mitteret, ejus jussa contempsit, ut Deum vocantem sequeretur. Sancta Barbara ab impio patre dira quæque tormenta et mortem denique ipsam sustinere maluit, quam impio ejus postulato parere. Sic alii quam plurimi.

III. Non raro filiorum amor avocat parentes a virtutis tramite. Sensit hoc Heli, qui nimium indulgens filiis, Deum offendit, ideoque cum illis morte subita plexus est, ipse domi ex sede corruens, filii in prælio occisi; quia: *Magis honorasti filios tuos, quam me*, ait ei Dominus, I. Reg. II. Quam ob causam Ecclesiasticus, c. XXXII. monet parentes: *Et a filii tuis cave*, ne scilicet amore eorum abducaris ab amore Dei. Summus sacerdos olim debebat quidem in pectore gerere nomina filiorum Israel: at nomen Dei in fronte et capite, Exodi XXVIII. docens, amandos quidem eum corde gerendos esse filios, sed magis amandum Deum, et supremo loco habendum. Vaccæ illæ, quæ trahebant arcam fœderis in plaustro, pergebant recto itinere in Bethsames, tametsi audirent mugientes in stabulis vitulos; ac licet ipsæ moverentur affectu vitulorum, adeoque etiam mugirent, non tamen ideo pro progressu se retineri permiserunt, I. Reg. VI. Hunc in modum parentes, cum ad Dei voluntatem perficiendam vocantur, spernant odioque habeant liberos, sibi quomodocumque obstantes, nec audiant eorum vagitus; ac licet affectum naturæ sentiant, superent tamen per gratiam. Præclarum hujus rei et heroicum plane exemplum in civitate Tiburbitanorum, sita in Mauritania, edidit S. Perpetua, quæ cum ob fidem Christi in carcerem missa esset, vene-

runt parentes et vir ejus, cum lacrymis ei suadentes ut præsi consentiret, parvulum quoque ipsius lactentem ad collum ejus jactarunt: illa vero fortissimo animo parvulum abjiciens, et parentes ac virum contemnens, in Christi confessione invictissime perstitit: sieque vacca primum (apposite, quia nimirum ipsa vaccis illis vitulos spernentibus similis erat) objicitur, a qua graviter quidem percussa, ictum non sentit, extra se posita; deinde a leone occiditur, ut in ejus vita, 7. martii, Baron. an. 205. Quis hanc matrem satis laudet?

IV. Retrahit multoties mundi favor et honor delatus: quis enim non movetur honore? Motus certe Antiochi regis impii favore et promissis Judæus quidam, resistit a patriis legibus, et sacrificavit idolis in civitate Modin. Sed non movebatur Mathathias, ad idem faciendum provocatus, quinimo Judæum illum trucidavit super aram, I. Macch. II. Intellevit Moyses adhuc infans non commutandam gloriam, quæ a Deo est, cum ea, quæ ab hominibus venit: ideoque coronam sibi a Pharaone impositam, sensim delabi de capite passus, pedibus calcavit, ut scribit de eo Joseph, lib. II. antiq. c. II. Simili modo S. Pionius et socii martyres, coronas, quas persecutores illis imposuerunt, disceptas abjecere, I. febr. Sur. Athanasius quoque adolescens e monasterio a patre extractus, ut mundo serviret, et sericis vestibus ad sæculi pompam ornatus, eas semel iterumque dilaceravit, sicque tandem parentem vicit et propositum suum tenuit, in vit. S. Nicetæ, 3. ap.

V. Abstrahunt opes et divitiæ, cum ad suadendum peccatum vel auferuntur vel offeruntur; uti Balaamum illum a Dei mandato sibi injuncto, Numer. XXIV. § XIV. sed profecto ipsius malo; nam aurum accepit, et vitam animamque perdidit, occisus in prælio inter Madianitas, Num. XXXI. Quis tam stultus est, ut non malit perdere aurum quam vitam? « Narravit quidam patrum (ita scribit Moschus, in prato spir. cap. CCIII.) quod aliquando lapidarius quidam habens lapides pretiosissimos et gemmas et margaritas, navem conscendit cum filiis suis, peregre ire cupiens et negotiari. Contigit autem illum ex dispositione Dei puerum quemdam, qui erat in navi, diligere, qui illi quoque in navi ministrabat, et ipse etiam ab eo reficiebatur, comedens ex his, quæ ille comedebat. Die vero quadam audivit nautas puer submurmurantes inter se, et statuentes illum in mare projicere, pretiosorum lapidum causa. Venit autem puer ille mœrens ad virum prædictum, ut ex consuetudine sua ipsi ministraret. Qui ait illi: Cur hodie ita mœstus es,

fili? Ille vero dissimulabat dolorem et tacebat. Rursum interrogavit eum dicens: Dic mihi veraciter, quid habes? Tunc ille erumpens in fletum, ait illi: Sic et sic consilium fecerunt nautæ de te. Dixit autem ei: Nosti hoc diligenter? Ait: Utique sic de te apud seipsos statuerunt. Tunc advocans filios suos, dixit eis: Quodcumque dixerò vobis, impigre, et absque ulla disceptatione perficite. Tunc explicans sindonem cepit eis dicere: Afferte capsulas. Quas cum tulissent, aperiens eas, cepit educere lapides; et cum omnia explicuisset et in omnium conspectum posuisset, sic dicere cepit: Hæc vita est, propter ista periclitator, et cum mari pugno: et post modicum morior, nihilque mecum ex isto sæculo fero. Dixit autem filiis suis: Projicite in mare ista omnia. Mox itaque, ut locutus est, tulerunt ea et in mare projecerunt. Porro nautæ obstupuerunt, consilium suum dissipatum esse cognoscentes. » Vidit hic lapidarius præstare gemmas amittere quam vitam: et non videat Christianus præstare opes perdere quam vitam æternam? *Abile pessimæ divitiæ* (dicebat Crates ille Thebanus, cum aurum suum in mare abjiceret); *ego vos mergam, ne a vobis mergar*, Philostr. in vita Apollonii, Diocles et alii.

VI. Impedit nonnunquam formæ elegantia, quæ ad insaniam deperitur, trahitque possessorem sæpe in salutis pericula, de qua Petrarca, l. VI. de remed. dial. II. « Tu qui in corporis pulchritudine gloriam tuam constituis, habes hostem tuum domi, delectabilem et blandum: habes raptorem quietis, tortoremque perpetuum: habes materiam laboris uberrimam, discriminum causam, fomentum libidinum, nec minorem querendi odii, quam amoris aditum: habes laqueum pedibus, velum oculis, alis viscum, etc. » Senserunt partim insidias, uti Sara, Gen. XII. partim damna, uti Dina, Gen. XXXIV. propter formæ pulchritudinem quam plurimi. Castus etiam Joseph insidias graves passus est a domina sua, ob eandem causam, ac licet victor existeret, in diuturnum tamen carcerem compactus est, Gen. XXXIX. Quid igitur? Nonne præstat vultum deformare, quam animam? *Interroga jumenta*, ait Job, c. XII. *et docebunt te*, Hebr. habetur: *Interroga behemoth, hoc est, elephantem*. Et quid docent illi? Cum venatores eos insequuntur propter eburneos dentes (quod ipsi advertunt), ecce tibi dentes illi allidunt et excutiunt ad arbores, ut venatores, capto ebore, persequi eos desinant, teste Plinio, l. VIII. c. III. Præstat sane dentes quantumvis speciosos perdere quam vitam. Præclaro et inaudito facinore hoc idem imitatus est S. Bernardus Calvoniensis dictus, abbas SS. Crucium, qui forma

modum decorus, cum castrum quoddam ad
divinam faciendam intraret, feminae aliquot
seriosius eum aspexere, inter quas una dicere
non erubuit, se amore ejus ardere ob liberalem
ejus formam, et in primis ob miram dentium
albedinem; quod idem aliae confirmabant, mi-
nantes, quomodo absque impensa opera tam niti-
dos dentes haberet, cum ipsae tales multa indus-
tria facere sibi non possent. Eo intellecto, abbas
de passionum mortificatione concionem habuit,
explicans id: *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.* Divina ergo inspiratione permotus, lapide,
qui prope jacebat, accepto, omnes sibi dentes
percussit, eosque in feminas illas projecit; simul
terrapia earum desideria reprehendens dixit: « Res-
piciate miserae pulchritudinem dentium, qui jam
nihil aliud sunt nisi ossa putrida sepulturae, si-
cut haec pulchritudo mea, quam laudatis ita, in
cibum vermium tandem convertenda est. Potius
igitur spirituales orationis dentes quaerite, qui
cibum animae digerant, vitamque castam, hone-
stam et virtuosam ducite, ut sic tabernaculum et
templum, in quo Deus inhabitet, efficiamini. »
Mirata plurimum mulieres, confusae ac contritae,
secreto remissionem ac poenitentiam ab eo cum
lacrymis petierunt, duae vero ex ipsis praecipuae
religiosum statum amplexae sunt. Doluerunt ea-
dem re fratres ejus, quod jam difficulter cibum su-
mere et loqui posset: sed ipse respondit, majus
fuisse damnum, quod ex ejus dentibus homines
capiebant, Deum sibi posse remedium afferre:
quod et factum, nullum enim defectum inde, sive
in loquela sive in comestione, passus est. Re-
fert Chrysostomus Henriquez, in fasciculo ss.
ord. Cisterc. I. II. dist. IX. cap. III. Huc refertur
possunt S. Alexander episc. qui in juventute, ob
formae elegantiam, ne in mundo periclitaretur,
carbonarium egit, ut in vita S. Gregorii thaumat.
27. nov. S. Brigida Scotiae virgo, quae ut nuptias
effugeret, precibus a Deo impetravit, ut alter
oculus ejus creparet ac diffleret, Sur. 1. febr. S.
Andragisina, ut lepram contraheret decora ejus
facies, similem ob causam, Sur. 9. febr.

VII. Amor vitae propriae trahit potentissime et
abstrahit a Deo, cum in salutis periculo versa-
mur. Verum Christus constanter ingerit: *Qui
amat animam suam* (hoc est vitam suam) *perdet
eam*, propter fidem scilicet et amorem meum, ut
vitam consequatur aeternam pro temporali. Quid
non faciunt ac patiuntur captivi, ut e carceribus
eluctentur, adeoque vitam servent? Hegesistratus
Eleus, ut refert Plutarch. in Laconicis a Lacedae-
moniis captus et in vincula conjectus, cum se
compedibus aliter liberare non posset, dimidium
pedem abscidit, atqua ita pede altero claudicans

evasit. Nimirum: *Si pes tuus scandalizat te, abscin-
de eum, et projice abs te.* Ipsi quoque lupi, si cum
noctu praedis insidiantur, pes forte strepitum
edat, morsu eum castigare dicuntur: quid mirum
si irascatur homo carni suae, quae eum daemone
prodere conatur? *Qui amat animam suam* (plus-
quam Deum, ipsi blandiendo) *perdet eam*, in ge-
hennam scilicet: *Quid vero prodest homini si uni-
versum mundum lucretur*, vitam temporalem, quan-
tumvis longam, formam, famam, honores, opes,
amicos, *animae vero suae detrimentum patiatur?*
Nonne tandem, si propter haec a salute excidat et
in gehennam eat, ea omnia execrabitur? Nonne
velut lupi aut rabidi canes, morsibus invadent
membra sua, a quibus illecti et pertracti sunt in
interitum? Ita enim de illis Joannes, Apoc. XVI.
ait: *Commanducaverunt linguas suas praeter dolore.*
Miseros nos dicent, qui ob tam breves voluptates,
ob tam exigua bona, ob mortalium hominum
amorem et favorem, in tam horrenda et perpe-
tua mala nos conjecimus! Ibi demum sentient
quam verum illud sit: *Inimici hominis domestici
ejus.* Hi enim velut canes in se invicem ringent,
sibique maledicent atque impropere dicen-
do: *Maledicta sis conjux, quae me seduxisti:*
*maledictus pater, qui me impedivisti: maledicti
filii, qui me retraxistis a salute mea: maledictae
opes, honores, forma, vita mea, etc.* Vicissim qui
seipsos hic oderunt et mortificaverunt membra
sua, quae sunt super terram, ibi mirum in mo-
dum sibi applaudent: quomodo virgo illa mirabi-
lis Christina, quae cum miris ac tremendis modis
afflixisset corpus suum, postea apprehensas ma-
nibus suis cum ingenti affectu osculabatur plan-
tas suas, ita dicens: *Age nunc, comiter sustine
optimum mihi gratissimum corpus meum:*
aderit propediem finis laboris tui, etc. uti refert
Th. Cantiprat. in Sur. 23. Jun.

CONCIO V.

LAURENTII CRATICULA, LECTUS NOBILISSIMUS.

I. Lectus Laurentii pretiosus. — II. Lectus mollis et
delicatus. — III. Lectus fortis et infractus. — IV.
Lectus securus. — V. Durus et asper, sed saluta-
ris.

THEMA.

*In lectulo meo per noctes quaesivi quem
diligat anima mea.* Cant. III.

Vita humana, si recte consideretur, aliud nihil
est, quam continua quaedam inquisitio. Omnes
enim homines eo adlaborant, id tota vita quaerunt,

runt, ut suam felicitatem consequantur et quam
optime habeant. Sed heu! plerique errant, nec
inveniunt quod quaerunt; quia non quaerunt ubi
debent: in lecto eam quaerunt, in carnis deside-
riis et commodis terrenis, juxta id Cant. III. *In
lectulo meo per noctes, quaesivi quem diligit anima
mea; quaesivi illum et non inveni.* Alius eam quaerit
in lecto superbiae et honoris specioso: alius in
lecto avaritiae aureo: alius in lecto deliciarum
mollis: alius in lecto ignaviae otioso. Non reperi-
tur in his lectis Christus, sed in lecto crucis.
Unde sponsa subdit: *Paululum cum pertransissem
eos* (vigiles civitatis) *inveni quem diligit anima
mea; tenui eum nec dimittam.* In quem locum S.
Ambrosius, lib. II. de virginib. « Si vis (inquit)
et tu tenere Christum, quaere jugiter, nec poenam
metuens: inter supplicia enim frequenter corporis,
inter ipsas persecutorem manus Christus me-
lius invenitur. Quam modicum, inquit, fuit, cum
transivi ab ipsis, donec inveni eum! Exiguo
enim spatio brevique momento cum persecuto-
rum manus evaseris, nec succubueris tempestati-
bus mundi, tibi Christus occurrit; nec te diu tenta-
ri patitur. » In hoc lecto Laurentius Christum
invenit, quando, in craticulam assandus, incu-
bit durum quidem lectum, sed non diuturnum;
interim omnibus totius mundi lectis longe nobi-
liorem: quod hic ostendemus.

I. Praepararunt sibi aliqui lectos pretiosos ex
ebore vel auro, uti optimates Israelis, quibus di-
citur Amos VI. *Vae qui dormitis in lectis eburneis:*
et Assuerus, qui paravit in convivio suo lectulos
aureos et argenteos, Esther I. sed nihil hi ad
lectum Laurentii, qui dum pro gloria et amore
Christi in craticula decubuit, lectum omnium no-
bilissimum sortitus est. Quid enim gloriosius,
quam imitari mortem Christi, qui et ipse in du-
rum et infamem crucis truncum, quasi in lec-
tum, cum affigeretur, detrusus, in eoque mortuus
est? Quid etiam honorificentius, quam pro eo
vitam in atrocissimis tormentis ponere, qui suam
pro nobis posuit, atque adeo vicem tanto libera-
tori modo aliquo rependere? Quid enim habe-
mus dignius et nobilium quod Christo retribuamus,
quam nostrum sanguinem pro sanguine
ejus dandum? Vidit hoc regius vates, quando
Ps. CXV. dixit: *Quid retribuam Domino pro omni-
bus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris* (h. e.
Salvatoris, accipiam, calicem passionis scilicet,
subditque: *Pretiosa in conspectu Domini mors
sanctorum ejus; qui videlicet calicem salutaris* (ut
praemisera) accipiunt et bibunt per martyrium.
Unde S. Ambrosius, I. de bono mortis, c. III. in
eum locum ait: *Sciebat enim gloriosius esse pro
Christo mori quam regnare in hoc saeculo.* Quid

enim praestantius quam fieri Christi hostiam? Con-
sonat huic Ambrosiano dicto, quod in prato spi-
rit. CLXXII. venerabilis quidam senex ex Cappa-
docia, nomine Leo, praevidens ex Dei revelatione
martyrio se coronandum, dixit ad suos: *Credite
mihi, filii, quia regnare habeo.* Illis vero dicenti-
bus: *Crede nobis, abba Leo, quia nullus ex Cappa-
docia unquam regnavit:* adjecit: *Veraciter, filii,
regnare habeo.* Paulo post cum barbari captivos
abduxissent tres abbates, eorum loco se, velut
sanum pro infirmis, barbaris in servitutem
dedit: quos cum praedebilitate sequi diu-
tius non posset, ab eis decollatus est. Tunc
agnovere ejus fratres quid sibi voluisset, cum as-
sereret: *Quia regnare habeo. Veraciter enim regna-
vit,* subdit auctor, *qui posuit animam suam pro suis.*
Eo denique provecta est gloria Laurentii ex mar-
tyrio, ut ipsa ejus craticula, et saxum ei suppo-
situm, undique perforatum, imo et locus ubi pas-
sus et sepultus est, templis ibi exstructis maximo
habeantur in honore. Unde S. Leo, in ser. de ipso
habito, ita alloquitur Valerianum imp. ejus tor-
torem: *Quid non ad victoris gloriam ingenium tu-
um reperit, quando in honorem transierunt triumphii
instrumenta supplicii?*

II. Alii pararunt sibi lectos delicatos et molles:
uti Smindyrides Sibarita, qui in rosarum foliis
recumbens, somnumque in iis carpens, experge-
factus questus est se tubera, ex nimia lecti duri-
tie, inflata habere, apud Aelian. libro IX. var.
histor. capite XXIV. Heliogab. imp. qui non cu-
buit nisi in culcitris leporino pilo, vel perdicum
plumis subalaribus repletis, apud Caesium, libro
XXVI. capite XX. alii plumis anserum delicatissi-
mis suos farciunt lectos, ut quam suavissime
dormiant. Sed ego audacter dico craticulam Lau-
rentio molliorem fuisse lectum, quam sint illi
plumacei, vel quicumque alii, in quibus voluptua-
rii dum se volutant, suas interim querelas et
afflictiones habent. Colligo vero hoc ex animi
alacritate, quam in craticula monstravit, cum
tyranno illudit, quasi ipse non ignitos carbonem,
sed plumas aut rosarum folia vel pilos leporinos
ei substravisset: colligo ex desiderio, quo crati-
cula ascensum anhelavit: « Hanc mensam, inquit,
appeto, hanc sitio. Non est famelicus, qui escam:
nec sitiens, qui potum desideret tam avide, quam
ego haec omnia tormenta ambio et sitio, ut amo-
rem amori, dolorem dolori, mortem morti repen-
dam Christo meo. » Qua de causa Sanctus Augus-
tinus, tract. XXVII. in Joan. ait de ipso: *In illa
ergo lenta morte, in illis tormentis, quia bene man-
ducaverat et bene biberat, tamquam illa esca sagi-
natus et illo calice ebrius, tormenta non sensit.* Sed
qua ratione, dicit quis, non sensit, continua

ustulatione cruciatus? Respondet ad hoc regius vates, Ps. XL. cum ait: *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus; universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*, q. d. hinc dolores non curat in tam duro lecto; quia Dominus instar seduli famuli eum sternit, versat, excutit, ventilat. emollit, ut martyr mollius cubet. Sed qua hoc ratione facit?

Primo, mentem ejus e corpore ad se avocando; quod testatur S. Flavianus martyr expertus: « Nulla caro patitur, inquit, dum animus in caelo est; et nequaquam corpus hoc sentit, cum se Deo tota mente devovit, » apud Sur. 24. febr. et S. Bernardus, ser. LXI. in Cant. « Non mirum, si exul a corpore, dolores non sentiat corporis, neque hoc facit stupor, sed amor. »

Secundo, mentem illius solatio perfundendo; de quo S. Thomas, de veritate, q. XIII. art. III. « Dicendum, inquit, quod martyres in tormentis existentes percipiebant aliquid de divina gloria, non quasi eam in suo fonte bibentes, sicut illi qui Deum per essentiam vident, sed aliqua illius gloriae aspersione refrigerabantur. » Confirmatur hoc exemplo in primis trium adolescentum, Dan. III. quorum fornacem ardentissimam angelus Domini refrigeravit quasi vento roris flante: deinde Theodori adolescentis Antiocheni, qui a praefecto Juliani apostatae cruciatus, dixit, adstittisse sibi adolescentem, qui sudorem absterserit et animum confirmavit, adeoque plus voluptatis quam angoris se sensisse, apud Socratem, lib. III. hist. c. XVI. et S. Victoris Mauri martyris sub Maximiliano, qui cum Mediolani plumbo bullienti perfunderetur, sensit angelum ita plumbum refrigerantem, ut ipse nulla corporis parte laederetur, uti narrat oculatus testis Maximianus notarius, in ejus vita, .8. maii, apud Sur.

Tertio, gehennae incendium aeternum ejus menti objiciendo, cujus respectu suavis et delicatus lectus videbatur ei craticula. Hanc causam indicare voluit S. Ambrosius in Psal. CXVIII. octon. XXI. ubi dicitur in persona martyris: *Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum*. Querit enim quomodo martyr timeat, cum id infirmitatis sit. Deinde respondet: « Pene martyrem circumspicientem omnia plena suppliciiis: deinde cogitantem mandata divina, illum ignem perpetuum, illud sine fine incendium perfidorum, illam poenae recrudescens ærumnam, trepidare corde, nedum praesentibus cedat, perpetuis se dedat exitiis, etc. Dicit ergo martyr: Principes quidem me persecuti sunt, sed non timeo eorum minas et verba: a tuis, o Christe judex, verbis formido ne mihi aliquando dicas: *Discede a me maledicte*. »

Cui consentit Augustinus, serm. XXX. de sanctis, cum ait: « Quis nolit ad horam uri Laurentii igne, ut aeternum gehennae non patiat in incendium? » Taceo spem coronae caelestis immarcescibilis, aliaque plura, quae lectum Laurentii versarunt, ventilant et suavem reddiderunt.

III. Alii procurarunt sibi lectos fortes et infractos; uti rex Basan, Og, qui lectum habuit ferreum, uti legimus, Deut. III. vers. XI. Hujusmodi lectus fuit etiam Laurentio, craticula scilicet ferrea, et quidem ignita, demonstrans animum ejus ferreum et in fide Christi, invicibilem; qualis et in aliis infinitis pene martyribus fuit; de quibus S. Chrysostomus, in Isa. c. II. ait: « Tunc emicuerunt numerosa turbæ martyrum, animæ tum ipsa ferri duritie rigidiores se esse declarabant; eoque expressius astris ipsis secum diffundebant splendorem. » Non potuit Valerianus expugnare Laurentii animum ferreo in lecto, quasi in propugnaculo, pugnantes: quinimo sicut ferrum, quo magis tunditur, eo magis induratur et stringitur (ut habetur Job XXI. *Cor ejus stringetur quasi incus*) omnesque malleatorum ictus deridet: ita S. Laurentius in craticula, et tyranni supplicio, fortior evasit et infractor, omnesque insani vires delusit. Bene de hoc Theodoretus, I. IX. de Græc. affect. curatione: « Martyrum interfectores, inquit, similes sunt his, qui flammam quidem extinguere concupiscunt, oleum vero facti instillantes, ardentem illam efficiunt. Etenim hi quoque contra pietatem bello suscepto, piæ veritatis robur manifestius declararunt. » Sic ille. Quæ etiam causa videtur esse, quod Joannes, Apoc. VII. in martyrum manibus palmas conspexerit, dicens: *Et palmæ in manibus eorum*; siquidem palmæ apud omnes gentes signum victoriæ erant. Causam dat Plutarchus, in sympos. cap. IV. in fine: « In certaminibus, inquit, placuit palmam esse signum victoriæ; quoniam ejus indolis est, ut urgentibus opprimentibusque non cedat. » Adhuc etiam Romæ in cryptis martyrum sepulera, palmæ figura lapidibus incisa, cernuntur insignita. Hujusmodi palma si quis alius S. Laurentius fuit, qui projectus in craticulam adeo non cessit furori et instantiæ Valeriani, ut contra eum insurgeret, non armis se defendendo, sed animi alacritate invictum se ostendendo, et ad plura sua tormenta tyrannum provocando. Hujusmodi et alii martyres qui ut in eorum actis passim legimus, dum in tormentis Christi opem implorarunt, mox praesentem habuerunt, et magis ac magis corroborati sunt: non secus ac tres illi juvenes in fornace Babylo-nica, ubi Deum invocarunt dicentes: *Erue nos in mirabilibus tuis*, illico angelum Dei ad se missum

iderunt, qui excussit flammam ignis et fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, Danielis III. § XLIX. et L.

IV. Alii providerunt sibi de lectis securis ab omni hostilitate et inimicorum insidiis. Salomon lectum suum custodiri voluit a sexaginta armatis, propter timores nocturnos, Cantic. III. Mithridates Ponti rex, praeter excubitores, etiam bestias adhibuit, taurum equum, cervum, lecti sui custodes, teste Æliano, lib. VII. capite LXVI. apud Caussin. I. IV. symb. cap. XLVII. Brasili in retibus ad duas vicinas arbores suspensi, ob incursum bestiarum, noctu somnum capere solent. Sed in vanum hi laborant, si malæ vitæ conscientiam in lectum suum inferant. Securisimus lectus est bona conscientia: « Sicut enim in laboribus pressi, inquit divus Gregor. in Ps. VI. in lecto quiescentes reficimur: ita dum hujus mundi adversitatibus premimur, in bona conscientia interius delectamur. Hujusmodi lectus erat craticula Sancti Laurentii, foris quidem a latronibus et carnificibus udique obsessa, intus vero a Deo vallata et custodita. Unde Sanctus Leo, in citat. sermon. de Sancto Laurentio, ait: *Segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus ascendit, ignis, scilicet amoris Dei, qui bonam conscientiam fovet et refrigerat*. Hinc Ecclesia applicat ei versum illum Psalmi XVI. *Probasti cor meum et visitasti nocte, igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas*. Noctu enim Laurentius assatus fuit, et fidelis Deo inventus. Quis autem sibi metuat, qui per ignem examinatus, purum sine scoria aurum inventus est? Neque dubium videtur Christum in hoc examine ei adstittisse, seu ut psalmus dixit, eum visitasse: quemadmodum et tribus pueris in fornace Babylo-nica adfuit quartus, similis Filio Dei, qui refrigerio ignem temperavit, Dan. III. ut inde colligit Rupertus, in eum locum: « Num quia Laurentius, inquit, igne assatus super craticulam emisit spiritum, ideo illi Filius Dei absens fuit? Imo praesentior illi fuit; et gloriosus in eo triumphavit, quam si excussisset carbones et igneam craticulam, quasi ventum roris flantem fecisset. » Quam securus igitur in suo lecto Laurentius, qui talem custodem habuit! Etenim si Agis, ultimus Lacedaemonum rex, ab ephoris seu iudicibus damnatus, dum ad supplicium raperetur, videns

quemdam sortem suam deflentem, dicere potuit: « Noli flere propter me, quia praeter jus et aequum ad dirum hoc supplicium ducor, meliorque sum iis, qui ad mortem me damnarunt, teste Plut. in Lacon. » quanto verius Laurentius hoc dicere potuit, ideoque omnem metum ac tristitiam longissime a se repellere? Timeant illi, qui male sibi conscii expectant gehennae incendium; uti revera timent, nec usquam securi degunt.

V. Alii quaesierunt sibi lectos duros et asperos praexpiandis peccatis et afferenda salute animæ suæ, uti in primis Pharisæi, qui in asseribus cubabant, tametsi forsitan cum hypocrisi: S. Martinus, qui non nisi humi, et ad summum in stramine somnum capiebat: S. Franciscus, Hilari- on. Paula et alii. Bene isti quidem, sed parum adhuc id erat, si cum Laurentio conferatur, cubante in craticula. Quo vero asperior hic lectus fuit, eo et salubrior: extinxit enim igne suo ignem inferni et purgatorii: meruitque in caelo lectum tanto delictiorem, quanto asperior ille fuit. « Hoc est baptisma, (inquit S. Cyprianus ad Fortun. praefect. de exhort. mart.) in gratia majus, in potestate sublimius, in honore pretiosius; baptisma, in quo angeli baptizant; baptisma, in quo Deus et Christus ejus exultant; quod fidei nostræ incrementa consumat, quo nos de mundo recedentes statim Deo copulat. » Hinc Laurentius in craticula ostium cœli sibi, uti Christus in baptismo suo et Stephanus in agone suo (ut conjicere licet) vidit apertum, ideoque dixit: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui*. Valerianus imperator eum e mundo expulit; sed hoc ipso in cœlum intravit: et dum eum assavit, gratissimum Deo ferculum in ipso praeparavit; et dum ignem ei subjecit, coronam fabricavit. Ita nimirum tyranni serviunt martyribus, dum eos perditum eunt. Granum frumentum ex odio in terram projiciunt, sed maximo ejus bono; nam dum in terra moritur, in cœlo renascitur et exurgit ingenti cum fœnore. Nos itaque et gratulemur S. Laurentio lectum nobilissimum, et discamus ejus exemplo patientiam conservare in mitiori longe, quam fuit ejus craticula. Non desideremus mundi lectos, aureos, plumaceos, ferreos, stipatos, in quibus nulla quies: quæramus potius cum Laurentio incumbere in brevi duraturum ignem, ut evitemus illum aeternum.